

## CAPUT XLIV.

DE PATIENTIA, PER QUAM  
omnem crucem superare, & promif-  
sam gloriam exspectare oportet.

Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria  
est: ut voluntatem Dei facientes  
reportetis promissionem.*

*Quid sit  
Patien-  
tia.*

**V**era & Christiana patientia virtus  
est, per quam in omnibus affli-  
ctionibus quas licitis modis effu-  
gere non possumus, divinæ voluntati  
nos resignamus, illius executionem in  
nobis toleramus, adeoque omnia pati  
potius certum habemus, quam contra  
Deum murmurare & ab illo deficere.

*Ejus ra-  
tio Dei  
provi-  
dentia.*

Ejus autem I. & præcipua causa est Dei  
consilium & voluntas, per quã ad cru-  
cem & passiones præordinati sumus;  
juxta illud ad Rom. 8. *Nam quos præsci-  
vit, hos & prædestinavit conformes fieri i-  
maginis filij sui.* Sicut ergo Deus dilectum  
filium suum ad crucem & passionem  
prædestinavit, ut per illam ipsum glo-  
rificaret: ita omnibus veris membris  
spiritualis corporis Christi suam cru-  
cem constituit, appendit, & annume-  
ravit, quam nõ est effugere, nedum per  
impatientiam excutere: sed sola obe-  
dientia